



I

D E S C R I P T I O
N O V I I N S T R U M E N T I
G E O M E T R I C I.

C A P V T I.

*De Geometria generatim: quid sit, à quo inventa,
& in quem finem.*



G E O M E T R I A ars est bene dimetiendæ terræ: nec tantum terræ totius, sed singularum etiã ejus partium, veluti regionum, fundorum, mōtium, urbium, castellorum, machinarum, &c.

*Geometria
ars bene
metiendi.*

Hæc inventa à Thalete Milesio in Aegypto perhibetur. unde in Græciam postea perlata est: inventa autem idè; ut ad terminos agrorum, Nili inundationibus quotannis obrui solitos restituendos, à viris ingeniosis adhiberetur, à quibus deinceps ad alios populos, qui summo studio vehementerq; illam coluerunt est propagata.

*Inventa à
Thalete,
& cur.*

Eadem & Astronomiæ utilitatem usumq; præstat, adè ut beneficio ejus non tantum varius temporum, anni, mensium, septimanarum, diei ac noctis, horarum & momentorum cursus, sed astra ipsa, ortus & occasus Solis, Lunæ, & aliorum Planetarum, loco & ordine definiri describiq; possint.

*Utilis etiam
Astronomiæ.*

Verum de terræ commensibus nunc duntaxat verba facere animus est; quorum notionem in primis debent habere imperatores, tribuni tormentorum ancorum, ædiles, architecti, operæ omnis generis, præfecti rerum metallicarum & alii, quib. nobilissima hæc ars ad res gravissimi pon-

A